

5.  
juxta Satiricum (*Sat. XIII, v. 189.*) — quippe minuti  
semper & infirmi est animi exiguiq; voluptas  
*ultio*. Continuo sic collige, quod *vindicta*  
*nemo magis gaudet quam foemina* — —

Deniq; apud *Justinum* duo adhuc sunt loci ferme paralleli, alter est  
(XXIV, 3, 10), *Sed nec Ptolemaeo inulta scelera fuerunt*, alter (XXXIX,  
5, 1), *Sed nec Alexandro cades tam nefanda inulta fuit*: in quibus  
sanè *inultus* possit explicari per *impunitus*, quod observat quoque  
*Taubmannus in Plaut. Mostellar. V, 1, 63*: an verò ubiq; locum inveni-  
at, meritò negabitur. Quid enim fiet illo *Horatij* (*Epod. XVI, ult.*)  
*Inultus ut flebo puer*: & *Claudiani* illo (*lib. II. in Eutrop. v, 209.*)

— — — — & flebis *inultus*

cùm pateant tantæ nullis custodibus urbes?

Num. III. hujus Programmi. CXXV. ut & num. IIX. Progr. CLI,  
dixi de *letbo ignavo* seu *ignobili*, cujus apud *Sallust.* (*Jugurt. b. c. 106. al.*  
*126.*) Sulla meminit, quando animo feroci negat se totiens fufum  
Numidam pertimescere, virtuti suorum fatis credere, etiam si cer-  
ta pestis adesset; mansurum potius, quàm proditis, quos ducebat,  
turpi fugâ incertæ ac forsitan post paullò interitura vitæ parceret.  
De homine seu milite hujusmodi valet illud *Ovidianum* (*lib. VII.*  
*Met. v. 546.*) — — — — morbo moriturus inertis.  
Unde flentes *Macedones* (apud *Curt. III, 5, 5.*) querebantur *Alexan-*  
*drum* suum non in acie saltem, non ab hoste dejectum, sed abluen-  
tem aquâ corpus ereptum esse & extinctum. Ipse quoq; idem que-  
rebatur (§. 10.) *obscura & ignobili morte* in tabernaculo suo extin-  
gui, cujus tamen preces non erant, quæ *Cæsarianorum veterano-*  
*rum* apud *Lucanum* (*l. V. v. 278.*)

Non duro liceat morientia cæspite membra  
ponere, non animâ galeam fugiente ferire,  
atq; oculos morti clausuram quærere dextram,  
conjugis illabi lacrimis uniq; paratum.